

Quid et quomodo sacramenta novae legis operantur?

(Continuatio.)

6. Sacramenta ex opere, ut ajunt, operato conferunt gratiam.

Sed iam ad propositum susceptae tractationis argumentum progredior, et quid de sacramentorum efficacia fide catholica ratum sit, per summas lineas exponere adnitar. Antequam tamen hanc provinciam ingrediar, e re fore existimo nonnulla praemittere, quibus et status quaestionis suis circumscribatur limitibus, et cavillationibus adversariorum doctrinae orthodoxae, ignorantia an malâ fide? obstrepentium occurratur. Notandum itaque *a*) non illud heic quaeri, sintne sacramenta causae primariae quibus gratia in acceptis referri debeat? quod vel opinari nemini sano umquam in mentem venit: sed hoc solum quaeri, an Deus per sacramenta nos iustificet? *b*) Non agi de modo, quo sacramenta gratiam producant: an nempe physice attingendo effectum, an moraliter tantum? Haec enim quaestio ad dogma non pertinet, estque liberae theologorum disquisitioni relicta. *c*) Duplicem distingui modum consequendi gratiam: unum quem vocant ex opere operantis, dum ob meritum vel dispositionem quam operans prae se fert, obtinetur gratia; alterum qui dicitur ex opere operato, dum ratione operis externi vel sacramenti applicati datur aliqua gratia citra omne meritum operantis. Unde cum dicitur sacramenta conferre gratiam ex opere operato, id tantumdem

est, ac sacramenta vi propriâ et virtute sibi insitâ, independenter tum a fide et probitate ministri, tum a subiectiva dispositione suscipientis efficacia esse, ita ut quamprimum actio sacramentalis valide perficitur, hoc ipso praesto sit etiam eius effectus. Quamquam autem haec efficacia sacramento obiective insit, quia tamen signum sensibile nullam habet proportionem ad gratiam supernaturalem: patet eam sacramento non ingentam seu naturâ propriam, sed nonnisi communicatam esse a Deo qui solus omnis gratiae auctor est, ut docet S. Thomas ¹⁾: »Cum gratia sit participata similitudo divinae naturae, manifestum est, eam non posse manare ab alio tamquam a principali agente, nisi ab ipsa divina natura.« Adeoque Deum esse causam principalem gratiae; sacramenta vero causas quidem efficientes, sed instrumentales, quatenus Deus iis ceu instrumentis ad conferendam hominibus gratiam utitur. Id ergo, ut cum Bellarmino ²⁾ loquar, quod active et proxime atque instrumentaliter efficit gratiam iustificationis, est sola illa actio externa, quae sacramentum dicitur, et haec vocatur opus operatum, ita ut idem sit sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutae, non ex merito agentis vel suscipientis, quod S. Augustinus expressit verbis illis ³⁾: »Ipsium per se ipsum sacramentum multum valet.« — Probitas quidem in ministro requiritur, ne indigne tractando sacramentum sacrilegii reum se faciat; ipsa tamen probitas non est causa gratiae. Ita etiam in suscipiente adulto requiruntur fides et poenitentia tamquam dispositiones, non ut causae efficientes: non enim fides et poenitentia efficiunt gratiam sacramentalem, sed tollunt solum obstacula efficaciam sacramenti impediencia; haec quippe homini relicta est infausta libertas, ut possit etiam virtuti sacramenti resistere seque eius incapacem reddere, quod

¹⁾ L. c.

²⁾ Disputationum de controversiis christ. fidei T. III. L. 2. c. 1.

³⁾ Lib. IV. de baptism. c. 24.

dum facit, obicem ponere sacramento dicitur. — E dictis unâ colligas velim, phrasin qua sacramenta ex opere operato asseruntur efficacia, inde ab Innocentii III. et Thomae Aquinatis aetate in scholis civitate donatam atque a Concilio Tridentino conservatam, immerito ab adversariis ut novam barbaramque fuisse sugillatam; etsi enim ea ad tersioris latinitatis leges exacta haud sit: est tamen ad doctrinam ecclesiae cum summa praecisione exprimendam perquam accommoda; res vero cui designandae adhibetur adeo nova non est, ut ipsi ecclesiae christianae sit coeva.

His ita praestitutis dogma catholicum de sacramentorum efficacia hac propositione complecti licet: Sacramenta novae legis continent gratiam quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.

Veritatem doctrinae his verbis enuntiatae tam copiose tamque luculenter proclamant omnia religionis christianae documenta, ut mirari subiret, quomodo ea dissimulari planeque pernegari potuerit, nisi, quanta passionum et praeiudiciorum ad excoecanda mortalium ingenia vis sit, constaret. Enimvero

Scriptura sacra iterato loquitur de signis quibusdam externis a Christo institutis, quae obiectivâ sanctificandi virtute polleant, nulla facta mentione fidei aut meriti quo insignes esse oporteat, qui ea frequentant. Sic Joannis III, 5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei. Quis non videat, heic vim regenerandi pari ratione tribui aquae et Spiritui Sancto: aquae ut causae instrumentali; Spiritui ut causae principali; elementum proinde sensibile et vis divina intime uniuntur; et tamquam duo factores simul agentes operantur novam nativitatem spirituales. Apposite in hunc locum, antiquiorum interpretum secutus vestigia scribit Maldonatus ¹⁾: »Christum, quia spirituales regenerationem naturali carnalique generationi opponebat, et

¹⁾ Comment. in h. l.

naturalis generatio ex duobus principiis, matre et patre fiat, duo etiam spiritualis regenerationis principia explicare voluisse; aquam quae matris, et Spiritum S. qui patris vicem gerit. « Vel ut Tertullianus ¹⁾ ait: »Invocato Deo, supervenit statim Spiritus S. de coelis, et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt.« Aqua ergo seu signum externum sacramenti, quodammodo impraegnata virtute supernaturali, parit spiritualiter hominem in novam vitam. Nescio an aliquid aptius hac imagine proferri possit in medium, quo nexus intimus gratiae cum signo sacramenti declaratur. — Eundem in sensum loquitur Apostolus Tit. III, 5: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti. Quibus quidem verbis regeneratio et renovatio a Spiritu S. facta tamquam effectus sistitur lavaeri seu baptismi. — Non secus Ephes. V, 26: Christus dilexit ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae. Ergo aqua et verbum, id est, materia et forma, e quibus sacramentum constituitur, sunt media, quibus Christus ecclesiam suam ab omnibus maculis mundando sanctificat. — Act. II, 28: Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum. Et Marc. XVI, 16: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. In his locis praerequisita in adultis poenitentia et fide, tribuitur baptismi remissio peccatorum, quae sine gratia sanctificante non fit. Adducta effata sonant quidem de baptismo; de eo enim utpote primo et maxime necessario sacramento crebrius agit Scriptura: at cum respectu efficaciae omnium par sit ratio, eadem conclusio valet etiam pro reliquis. Non desunt tamen loca, quae idem de ceteris affirmant, uti de confirmatione Act. VIII, 17: Imposuerunt manus, et acceperunt Spiritum S. De Eucharistia Joann. VI, 53: Qui manducat meam

¹⁾ Lib. de baptism. c. 4.

carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. De poenitentia Joann. XX, 23: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc. quae suis quaeque locis opportunius expenduntur.

Eiusdem veritatis testes locupletissimi sunt etiam sancti Patres, quorum testimonia longo ordine contexta exhibent Belarminus ¹⁾, Maldonatus ²⁾, Natalis Alexander ³⁾ alique. S. Gregorius Nyssenus ⁴⁾: »Baptisma, inquit, peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa«; quod ipsum in decursu orationis pluribus explicat et illustrat. Cyrillus Alexandrinus ⁵⁾: »Quemadmodum viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter urit quam ipse ignis: sic Spiritus Sancti operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem et potentiam.« Qua similitudine Cyrillus innuit sic aquam in baptismo esse instrumentum Dei ad sanctificandum hominem, ut calor in aqua calefacta instrumentum est ignis ad calefaciendum. Tertullianus ⁶⁾: »Caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur ut anima consecratur, caro signatur ut anima muniatur, caro manuum impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur, caro corpore Christi et sanguine vescitur ut anima saginetur« S. Ambrosius ⁷⁾: »Impossibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua. Et Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit: sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile esse, qui tantam nobis donavit gratiam.« Magnifice cumprimis S. Cyprianus efficaciam baptismi suamet compertam experientiâ celebrat ad Donatum ⁸⁾ scribens: »Postquam undae genitalis auxilio

¹⁾ Disputat. de controvers. T. III. L. 2. c. 6. sq.

²⁾ De Sacramentis qu. IV. c. 1.

³⁾ Theologia dogmat. et moral. T. I. L. 2. c. 5.

⁴⁾ Orat. in baptism. Christi.

⁵⁾ Lib. II. in Joann. c. 42.

⁶⁾ De resurrect. carnis c. 8.

⁷⁾ Lib. II. de poenit. c. 2.

⁸⁾ Epist. 1. ad Donat.

superioris aevi labe detersâ in expiatum pectus sanctum ac purum desuper se lumen infundit; postquam coelitus Spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit: mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse coepisse, quod iam Spiritus Sanctus animaret. S. Augustinum frequentissime in hoc argumento versatum esse, novērunt omnes; pervulgata sunt eius verba ¹⁾; »Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat?« Sed necesse non est diutius insistere excitandis Patrum testimoniis: nec enim ipse Calvinus negat hanc Patrum esse doctrinam, qui ut eam eludat, affirmare non dubitat, hyperbolicis eorum expressionibus delusos catholicos sua proendis dogmata hyperbolica.

Quid hac de re ecclesia catholica omni tempore senserit, satis constat tum ex symbolo Nicaeno-Constantinopolitano, quo profitetur »unum baptisma in remissionem peccatorum«, tum ex definitionibus solemnibus, quibus fidem suam palam testata est; ut in Concilio Milevitano 2^o, Arausicano 2^o, Florentino, ac novissimo Tridentino, cuius Patres sessione VII in decreto de sacramentis ita pronuntiant: »Consentaneum visum est de sanctissimis ecclesiae sacramentis agere, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur.« Canonibus vero 6. 7. 8. eiusdem sessionis contrariam novatorum doctrinam anathemate perstringunt. Evidentissime denique sensum ecclesiae ostendit praxis baptizandi infantes. Qui sacramenta vi sanctificandi expoliant, viderint, quomodo paedobaptismum defendant: fidem eo in infantibus haud excitari, clarum est.

Sed et ipsa ratio theologica dogmati catholico suffragatur. Fac enim, efficacia sacramenti suspensa sit a dispositione

¹⁾ Tract. 80. in Joann.

suscipientis: tum enimvero falsum erit, gratiam omnino esse gratuitam; suscipiens quippe omnem iustificationem, quam consequitur, ipse sibi in acceptis referet, et Deum qui meritis eius gratiam rependere cogeretur, sibi subordinabit. Si vero gratiae collatio a fide et probitate ministri repetenda foret: tum hic proprie causa efficiens, et auctor largitorque esset gratiae, ac pro mensura probitatis, qua eniteret, maiorem aut minorem iustificationis gradum impertiret illi, cui sacramentum dispensat. Dein si sacramenta ad fidem dumtaxat excitandam valent: ecur ea a Deo instituta propugnamus? Nihil sane obstat, quominus signa huic fini idonea etiam ab homine instituantur. Aut ergo sacramenta nuda et sterilia sunt symbola: aut gratiam quam significant, operantur quoque.

Atque haec sacramentorum efficacia in causa est, cur catholici contendat ad ipsam eorum notionem atque essentiam pertinere, ut sint signa practica, quae scilicet gratiam quam significant, reipsa etiam operentur. Non igitur negatur eadem simul esse mnemoneutica seu rememorativa, quatenus ad Christum velut auctorem suum referuntur; item prognostica, quatenus plenam nostram sanctificationem futuramque gloriam velut effectum suum respiciunt; nec non theotetica, quatenus veritatem Dei demonstrant; illud solum dicitur, his momentis notionem sacramentorum non exauriri; nisi unâ ut practica et gratiae efficacia concipiantur ¹⁾.

¹⁾ Dum theologi nonnulli, velut Gasp. Juenin, Comment. de Sacram. Diss. I. qu. I. c. 2. contendunt, signum sacramenti non debere esse practicum, sed sufficere ut sit speculativum, loqui censendi sunt de sacramentis sensu latiore sumtis, quatenus hoc nomine sacramenta quoque v. l. comprehenduntur, quae gratiam sanctificantem immediate haud produxisse communis est opinio. Ceterum observat Lieberman. Instit. theol. T. IV. p. 160. haec quoque proxime et immediate sanctitatem legalem seu consecrationem aliquam aut destinationem ad cultum divinum significasse, et quod ita significarunt, etiam effecisse, ideoque practica dici debere. Quam observationem eo valere putat, ut figurae quaedam v. f. a sacramentis secernantur.

Opportune hoc loco quaeri solet, an spectatâ efficacîâ par sit sacramentorum utriusque foederis dignitas? Sua etiam legi mosaicae fuisse sacramenta eaque plurima, omnes praeceunte Scriptura consentienter docent theologi. Quid vero distent haec a sacramentis n. l. arduum non est definire. Concilium Tridentinum ¹⁾ damnando novatores, qui sacramenta n. l. eo solum differre contendebant a sacramentis veteris legis, quod alii essent ritus externi, discrimen ipsum propius quidem haud declaravit: at Eugenius IV. in Decreto pro Armenis illud ita exponit: »Novae legis septem sacramenta multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et eam digne suscipientibus conferunt.« Interim haec si S. Augustinum et scholasticos audiamus, non ita sunt intelligenda, quasi sacramenta v. l. iustificationem nullo modo fuerint operata: sed potius ita, quod ea legalem quidem iustitiam proxime et immediate; veram autem et internam iustitiam sanetitatemque nonnisi mediate, id est, non ex se et virtute sibi insitâ, sed per fidem in venturum Salvatorem, quae cum iis coniuncta fuerat, significaverint una et effecerint. Haec certe mens fuit S. Thomae ²⁾ scribentis: »Et tamen per fidem passionis Christi iustificabantur antiqui patres sicut et nos. Sacramenta autem veteris testamenti erant quaedam fidei illius protestationes, in quantum significabant passionem Christi et effectus eius. Sic ergo patet, quod sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem, sed solum significabant fidem, per quam iustificabantur.« Prorsus consona sunt haec Scripturae, quae una ex parte sacramenta veteris foederis vocat egena et infirma elementa. Gal. IV., 9, negatque sanguine taurorum auferri posse peccata Hebr. X, 3);

¹⁾ Sept. VII. can. 2.

²⁾ P. III. qu. 62. art. 6.

parte vero ex alia pios patriarchas per fidem iustificatos affirmat Rom. IV, 3. — Praecipuum inter sacramenta v. f. erat circumcisio, de qua multi insignes theologi post S. Augustinum ¹⁾ arbitrati sunt, quod non secus ac baptismus n. l. vim habuerit ex se (ex opere operato) delendi peccatum originale; quod tamen alii, ut Tournely et Collet negant, provocantes ad Scripturam, quae circumcisionem potius ut signum foederis Deum inter et populum hebraeum initi, atque ut sigillum promissionum divinarum exhibet Gen. XVII, 10—11; insuper autem clare docet, circumcisionem non ex se, sed per fidem futuri Redemptoris iustificasse, seu quod idem est, a reatu peccati originalis liberasse priscos patres. Rom. IV, 10—11.

7. Num physice an moraliter gratiam operantur?

Quae de sacramentorum n. l. efficacia exposita sunt, summam constituunt dogmatis cath.; at si ultro quaeratur, qua ratione quove modo sacramenta hanc suam efficaciam exerant, physice, an moraliter solum gratiam operentur? Id iam non fidei, sed liberae discussionis est obiectum. Et sane quaestionis huius enodatio praestantissimorum theologorum exercuit ingenia variis varias excurrentibus theorias, quibus abstrusam sacramentorum causalitatem in apicem deduci clarâque in luce collocari arbitrabantur. Cum controversia haec ad penitiorem ipsius dogmatis intelligentiam nonnihil conferre videatur, operae pretium fuerit eam breviter perstringere.

In genere duplex distingui solet causa: physica quae immediate et per realem influxum contactumque producit effectum; et moralis quae movendo dumtaxat et excitando sive auctoritate et imperio, sive consilio meritoque alium determinat ad agendum, adeoque in producendo effectum mediatas nonnisi partes habet. Utraque porro vel est primaria seu principalis, si propria sua virtute motuque proprio agat; vel se-

¹⁾ De nuptiis et concupisc. l. II. c. 11.

cundaria seu instrumentalis, si motu et virtute causae principalis operetur. Exemplis haec illustrari solent ignis calorem producentis; securis in manu fabri, et chirographi, quo debitor ad rependendum aes alienum adigitur. — His notionibus conformiter, siquidem sacramenta ex institutione divina eam virtutem naeta sunt, ut iis rite applicitis gratia in anima suscipientis efficiatur: ea causae physicae non quidem principales, sed instrumentales gratiae dicenda erunt; si vero posita actione sacramentali Deus permoveatur, ut per se directe, nullo facto signi externi usu gratiam suscipienti conferat: tum enim vero sacramenta causae solum morales gratiae censebuntur. Vel ex his utcumque patet, in casu posteriori gratiam consecrarium potius quam effectum suscepti sacramenti futuram. Iam quod quaestionis huius in controversiam adductae disceptationem attinet, ea magno in scholis animorum aestu agitata, nec hodieum definita, theologos in duas acies adversa secum fronte pugnantes diremit: scotistarum ut vulgo dici solent, et thomistarum, nec facile quis decernat, utra validioribus certet telis, utri victas dare manus oporteat. Scotistae moralem propugnant sacramentorum causalitatem, nec tamen eundem in explicando tenent modum. Aliqui nempe, quos inter S. Bonaventura ¹⁾, et Scotus ²⁾ docent sacramenta ipsa non producere gratiam, sed esse conditiones tantum sine quibus gratia non confertur; concedit nihilominus Scotus, appellari ea posse causas instrumentales, quatenus Deum necessario movent, ut propter pactum et promissionem gratiam conferat. Verum hac sententiâ sacramenta ad nuda redigi symbola, manifestum est. Alii duce Alexandro Halensi ³⁾ sacramenta nonnisi mediate causas esse gratiae putant, siquidem proxime qualitatem quamdam in anima efficiunt, qua mediante producitur primum divinitus gratia. Qualitatem autem illam antecedentem in tribus sacramentis charac-

¹⁾ In IV. Dist. 1. art. 1. qu. 4.

²⁾ Dist. 1. qu. 4 et 5.

³⁾ P. IV. qu. 8 memb. 3. art. 5. §. 1.

terem imprimantibus, dicunt esse ipsummet characterem; in aliis autem nescio quem ornatum animae. Sed re attentius consideratâ, non minus difficile est intelligere, quomodo sacramenta qualitatem illam antecedentem possint producere, quam gratiam. Neque character potest haberi pro qualitate eiusmodi quam gratia consequatur, cum constet illum saepe sine gratia conferri, ut si quis peccato mortali irretitus sacramentum Ordinis suscipiat. Alii rursus auctoritate ducti Melchioris Cani ¹⁾ asserunt, sacramenta instar chirographi moraliter in se continere pretium meritorum Christi, ac per id efficaciter movere Deum ex pacto quo se libere obstrinxit, ut ad praesentiam signorum sacramentalium assistat et gratiam conferat. Ast hac ratione omne propemodum inter v. et n. l. sacramenta, discrimen tollitur, nam et antiquae legis sacramenta, praesertim circumcisio, erant caeremoniae religiosas, institutae in signum foederis ac promissionis divinae de conferenda gratia propter fidem in Christum. Alii denique, ut Sotus ²⁾, censent sacramenta esse causas gratiae non quod eam producant, sed quia sunt causae ut homo sit gratus Deo. Quae opinio Gregorio de Valentia ³⁾ iure non modo minus intelligibilis, sed minus quoque probabilis videtur, quam ulla ex praecedentibus. Scotistarum, et signanter Cani partes ex auctoribus sequioribus amplexi sunt Tournely ⁴⁾, Antoine ⁵⁾, Wirceburgenses ⁶⁾. Thomistae contra contendunt physicam esse sacramentorum causalitatem; licet vero hi quoque in plures abierint sententias, una tamen prae reliquis invaluit, et fere communis evasit, quam deinceps magni nominis theologi Robertus Bellarminus ⁷⁾, Franciscus Suarez ⁸⁾,

¹⁾ Relat. de sacrament. P. IV. concl. 6.

²⁾ In IV. Dist. I. qu. 3. art. 1.

³⁾ Commentar. theolog. T. IV. Disp. 3. qu. 3. punct. 1.

⁴⁾ Praelect. theolog. T. VI.

⁵⁾ Theologia univ. speculat. et dogmat. T. II. tract. de sacram. c. 2 art. 2.

⁶⁾ RR. PP. Soc. Jesu Theologia dogmat. polem. T. V.

⁷⁾ L. c. L. II. c. q.

⁸⁾ Commentarior. ac Disputationum in 5 Part. d. Thomae T. III.

Gregorius de Valentia ¹⁾ copiose non minus quam erudite tuendam susceperunt. Ex horum itaque mente sacramenta vere efficiunt gratiam, quia ipsamet actio, per quam gratia fit, vere ac realiter physiceque pendet ab ipsis sacramentis. Cum autem sacramenta non ex se habeant virtutem, sed Deus sit qui per illa operatur: hinc ea non principalis sed instrumentalis causae aut potius instrumenta sunt gratiae, hoc ipso quod Deus illis utatur ad producendam gratiam; sunt item instrumenta supernaturalia, neque enim naturâ suâ proportionata sunt cum effectu principali, qui est gratia; sunt tamen aliquid praesens et antecedens quo posito, supernaturaliter ex institutione divina sequitur effectus principalis qui est gratia: unde sacramenta non tam physica, quam potius quasi physica instrumenta gratiae sunt nuncupanda ²⁾. Non dubito rem multis gratam me facturum, si recensitas scholarum opiniones cum omni quo a suis quaeque auctoribus fulcitae fuere argumentorum apparatu exponerem; neque abnuerem, nisi ex proposito id alienum sentirem; quare lectorem uberius eas nosse cupientem ad Franciscum Suarez ³⁾, qui eos late prosecutus est, relego.

Quodsi vero quisquam me percontetur, thomistarumne an scotistarum hypothesin praeferendam putem? Nae is non parum perplexitatis facessit: in causa enim a tot gravibus doctisque viris, quorum nominibus cum reverentia assurgas, ventilata arbitrum agere, sin minus temerarium, certe maxime arduum est. Interim si in re prorsus libera nullisque legibus cauta sententiam promere fas sit, fatebor propendere me in explicationem thomistarum. Rationes quae me, ut ita censeam, inducunt, paucis hae sunt. *a)* Imprimis prolata thomistarum explicatio magis consentanea est, nec quidquam ex sensu proprio detrahit effatis Scripturae, quibus sanctificari, regenerari dicimur

¹⁾ L. c.

²⁾ Gregorius de Valentia l. c.

³⁾ L. c.

ex aqua, per lavacrum aquae, lavacro aquae et verbo vitae; uti et phrasibus, quibus concilia passim et Patres efficaciam sacramentorum celebrant, velut dum concilium Tridentinum ¹⁾ baptismum causam instrumentalem gratiae vocat, et concilium Senonense ²⁾ sacramenta habere vim divinae gratiae conferendae docet; aut dum S. Leo ³⁾ ait: »Baptismo datam esse virtutem et potentiam renovandi et regenerandi hominem.« Quae quidem omnia si ad opiniones scotistarum exigantur, sensum nonnisi valde improprium ac elumbem habent. *b)* Non parum praeterea commendat explicationem thomistarum, quod ex ea non pauca recte intelligantur, quae in praesenti quaestione occurrunt. Sic intelligitur quid sibi velit modus loquendi, quo sacramenta dicuntur conferre gratiam ex opere operato; nempe id hac expressione indicari, non ex ullo opere bonoque motu hominis sacramentum ministrantis aut suscipientis exurgere, sed ipso sacramenti opere posito sive exercito contineri ex institutione divina virtutem, qua sacramenta gratiam efficiunt. Intelligitur item, qualis sit virtus in sacramentis, qua gratia instrumentaliter producitur, nempe virtutem eam non esse aliquam qualitatem superadditam et inhaerentem sacramentis, ut Paludanus et Capreolus autumabant: sed naturalem rerum sensibilium capacitatem, qua Deo ad effectus quoscumque instrumentaliter inservire possunt, et usum sive motum, quo Deus tamquam principalis agens eas per ministrum munere suo ex institutione divina fungentem adhibet ad producendam gratiam. Neque de alia quam de hac virtute intelligendi sunt Patres dum aiunt: Deum adesse sacramentis ut efficaciter operentur, et ea ab illo conservari, ac virtutem operandi accipere ⁴⁾. Intelligitur denique quo sensu dicat Concilium Trid. ⁵⁾: »Sacramenta

¹⁾ Sess. VI. c. 7.

²⁾ Decret. fidei. c. 10.

³⁾ Epist. 4. c. 6.

⁴⁾ Gregorius de Valentia l. c.

⁵⁾ Sess. VII. can. 6.

continere illam gratiam quam conferunt; « hoc sane ut S. Thomas ¹⁾ declarat, non ita intelligendum est, quasi gratia illa secundum se et formaliter inesset sacramentis, tamquam in quibusdam vasis: sed continetur in illis virtualiter tamquam in causis suis instrumentalibus, hoc est, nonnisi secundum habitudinem quamdam effectus ad causam, item tamquam res significata in suo signo. c) Neque illud praetereundum, a thomistis non omnes sine discrimine reprobari rationes, quibus scotistae in explicanda sacramentorum causalitate utuntur; quin potius non paucas probari, uti quod sacramentorum causalitas promissione divinâ nitatur; hac enim seclusâ, ex solis rerum naturis non sequitur effectus supernaturalis; tum quod sacramenta sint conditiones sensibiles, quibus positis necesse sit sequi gratiae effectum; immo Suarez ²⁾ ultro concedit: »recte posse dici sacramenta causas morales gratiae, et moraliter continere pretium et valorem sanguinis Christi. Nam sicut Christi passio fuit causa moralis nostrae redemptionis, ita sacramenta, per quae applicatur eius virtus, possunt dici causae morales.« Ast unum est, quod acrius propugnant, his non satis explicari modum quo, sacramenta efficacia sunt, nisi causalitas physica iis vindicetur.

Non me latet sententiam hanc non paucis nec levibus urgeri difficultatibus: sed num opposita minoribus premitur? Obmovent: ut sacramentum physice operetur, necesse est, ut eo momento quo gratiae collatio fit, adhuc physice existat; at vero id non obtinet: cum enim gratiae collatio momentanea, actio autem sacramentalis successiva sit quae effectum non ante habere queat, quam ipsa plene perfecta terminataque sit: patet eo momento quo collatio gratiae fit, sacramentum iam transivisse, neque proin effectum physice attingere. — Sed mera haec cavillatio est; nam sicut gratiae collatio in momento fit:

¹⁾ P. III. qu. 62. art. 3.

²⁾ Commentarior. et Disputat. in 3. P. d. Thomae T. III. qu. 62. art. 4. disput. 9. sect. 2.

ita etiam actio sacramentalis habet quiddam indivisibile per quod proprie dicitur esse; unde momentum collatae gratiae coincidit cum eo momento, quo indivisibile illud perficit actionem sacramentalem ¹⁾).

Communis et trita est theologorum doctrina, inquit Tournely, baptismum fecte susceptum, recedente fictione reviviscere et in homine poenitente suum effectum sortiri; atqui non potest tunc physice effectum suum producere baptismus, cum non amplius existat: quod enim non existit, physice agere non potest. — In nodo hoc solvendo non parum thomistae laborarunt, adeo ut Suarez ipse fateretur, eo in casu baptismum physice non agere. Difficultas forte ita expediri potest: sacramentum valide collatum semper et infallibiliter operatur, et effectus, qui sacramento obiective inest, ob indispositionem suscipientis non annihilatur, sed impeditur solum, quominus in subiecto se se exerat: quare sublato obice non novus producitur effectus quem sacramentum quod dudum praeteriit, physice attingere debeat; verum effectus, iam productus ast impeditus, reviviscit, et suam in animam agendi vim recuperat. Sol oculo quamvis glaucomate laboranti luce suâ adest, sed ob morbum impeditur vi suâ beneficâ in illum agere; sublata glaucomate non nova lux offertur; sed ea quae iam ante praesto fuit, oculum sanatum recreat.

Plane vero ineptire mihi videntur, qui putant fieri non posse, ut signum sensibile producat gratiam spiritualem, cum inter causam et effectum nulla sit, proportio. — Oblocutioni tunc esset locus, si diceretur sacramenta naturâ suâ et vi congenitâ efficere gratiam, quod asseverare nemini umquam incidit: Deum vero suâ omnipotentâ signis sacramentalibus uti posse ad producendos effectus supernaturales, quis addubitet? An lutum quo coeco visum, et sputum quo loquelam muto

¹⁾ Vid. Bellarmin. l. c. L. II. c. 11. — Oswald, die dogmat. Lehre von den heil. Sacramenten, I. Bd. p. 57.

Christus olim restituit commensuratae fuerunt suis effectibus causae? Sed et daemones igni materiali teneri et exercuari, communis est theologorum doctrina; immo ut scite observat Bellarminus, experimur ipsi corporis affectionibus miro modo affici animos nostros. Generatim si huic quaestioni diutius immorari expediret, provocare liceret ad analogias in natura physica observatas, e quibus patet, res corporeas virium sibi communicatarum traduces fieri. Quis adeo rudis est, ut magnetismi electricismique phaenomena cum lateant ¹⁾?

(Continuabitur.)

Eine Entscheidung der S. Congregatio Rituum

die bei einer Requiemmesse zu nehmende Intention betreffend.

Gebraucht vom Bamberger Pastoralblatt.

Orator exponit: quod consuetudo invaluit in quibusdam Ecclesiis, ut in festis ritus semiduplicis paramenta tantum nigra offerantur sacerdotibus sacra celebraturis, ex eo quod Rubricae generales Missalis permittunt celebrationem Missarum privatarum pro defunctis quocunque semiduplici.

Porro sacerdotes illis Ecclesiis addicti vel extranei, qui promiserunt missas secundum intentionem dantis eleemosynam, non dubitant in diebus praefatis celebrare Missam de Requie, eo quod non cognoscant an intentio sit pro vivis nec ne,

¹⁾ Wenn laut Erfahrung in den äussern Kreisen des Seins durch Handauflegen, durch Ringe und Talismane beständige Verstärkungen und Uebertragungen von Kräften geschehen . . . mit welchem Unverstande läugnet man die durch unzählige Erfahrungen bestätigten Kräfte der Kirche? Ringseis, System der Medizin. Regensburg 1841. p. 159.